



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 99. Fœdus Condæi Principis cum Hugonottis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. A. C. 1615. mulabant: Unde Gramondus indignitate facti commotus, ac nuper allegata capita Regi præscripta non sine indignatione ponderans ita exclamat: „Superba plebiscita gentis! Sectarii usque in tyrannidem rerum imperia prosperis rebus affectant. Piget me, dum hæc scribo, vesanæ libidinis, qua se præcipitem dedit secta impotens, gens perniciofa Catholicis, sibi exitiosa, cujus casu trahetur omnis ordo, quo tempore, calcato velut bufone, peribimus una & nos, quorum vestigio conteretur secta,„ Ceterum Ludovicus XIII. Rex tum Ambasiæ agebat, qui receptis hisce articulis, necnon Calviniani Conventus Deputatis se responsurum edixit, quam primum Turonium delatus esset: eo autem cum adventasset, Deputatos Pictavium, inde Burdegalam remisit, qua cunctatione fat manifestum reddidit, quod tam proterva postulata nullo vel tardo responso dignaturus esset.

*Calmet. Hist. Univerf. num. 87.*

§. XCIX.

*Fœdus Condæi Principis cum Hugonottis.*

*Gramond. pag. 97.*

Nihilominus Rex Calvinistarum importunitate expugnatus, præfatis eorum articulis quædam adjecit, alia au-

Sæc. XVII.  
A. C. 1615.

autem expunxit, inde vero Fœderati aperti adversus Regem belli occasionem atque obtentum quærebant, moxque inter eos Condæus cum Calvinistis palam armorum societatem inibat, pacis utrinque hisce legibus. I. Renovato Sacramento, fidem & obedientiam Regi promittant, & præstent omnes, velut Vicario Dei: II. Ego Condæus pro me, & pro Principibus fœderatis, pro Ducibus, pro coronæ Gallicæ Ministris, pro nobilibus, pro populo, & si qui alii partibus meis adhæserunt, & nos delegati ab Ecclesiis Galliæ, nomine ipsarum data ultro citroque fide pollicemur invicem, futuros nos posthac una & simul regiæ vindices autoritatis, postque inquisitum sedulo crimen parricidii in Henricum commissi ultores. III. Pollicemur item collatis una viribus obstituros promulgationi Concilii Tridentini, quo Regis autoritas enervatur, quo tolluntur Gallicæ Coronæ jura, & privilegia, quo edicta in pacem Regis inter & subditos perpetuam inita subvertuntur. IV. Promittimus, nos ituros pro virili obviam malis, quæ imminet ex fœdere nuptiali inter Gallum & Hispanum convento: & Sanctius Regis Concilium ut mutetur in melius, dabimus operam, nec non ut minuatur eorum autoritas, quos monitionibus ad

Re-

Sæc. XVII Regem nostris Lutetianum parlamen-  
A. C. 1615. tum nuper designavit. V. Nanneticum  
 edictum prout palam, & secreto conscrip-  
 tum est, executione firmetur; caven-  
 dumque juxta Bearnensium questus,  
 ne quid detrimenti ipsorum Ecclesiæ pa-  
 tiantur. VI. prospiciatur indemni-  
 tati eorum, qui bonis, dignitatibus,  
 præfecturisve deiciuntur ex belli causa.  
 VII. Fides solenniter detur, mutuum  
 in opem, neque ponenda nisi communi  
 assensu arma. VIII. foveantur fœde-  
 ratos inter mutuis & frequentibus scri-  
 ptis rerum commercia: quæque obscura  
 hosti consilia esse decet, velut inter so-  
 cios bona fide vicissim communicentur.  
 IX. Arma & pecunia, cujus ex confœ-  
 deratæ unionis indictione exactio fiet,  
 stipendia militum, præfecturæ, reli-  
 quaque bello ineundo, aut sustinendo  
 munia pro Commitiorum arbitrio distri-  
 buantur; & ne sit vana Condæi autori-  
 tas, accommodet nomen suum, quo  
 programmata subscribentur. X. Offi-  
 cia, præfecturæ, munia publica & pri-  
 vata, sive arma spectent, & forum, sive  
 ærarium, bello distributa, ut pace va-  
 leant, erit utrique parti curæ. XI. Re-  
 sarciantur ex bello partis damnum, quod  
 infertur nostratibus, suppleaturque ve-  
 lut compensatione jactura, nempe  
 concessione agrorum aut pecuniæ priva-  
 tum

tum damnum; urbium & municipiorum, Sæc. XVII. A. C. 1615.  
 si publicum est. XII. Condæus nihil  
 in arcibus & municipiis novet. XIII.  
 Salva sit in urbibus Catholicis & Roma-  
 nis, quæ Condæi partes eo bello fe-  
 quentur, pro arbitrio mansio quibusli-  
 bet reformatis; nec non religionis cui-  
 que suæ facultas nullo impedimento.  
 XIV. Quia plerique nostrum regiis ab-  
 sistunt urbibus mansione sua, vi aut me-  
 tu; placeat eorum sumptibus exhiberi,  
 qui a nobis defecerint ad Regias urbes  
 transfugæ.

Hasce leges Condæus hoc anno die  
 vigesima septima Novembris in castris  
 Sanzeanis in Pictaviensi Provincia pro-  
 prio chirographo firmabat, Calvinistæ  
 vero Nemausii congregati Regem de fœ-  
 dere cum Condæo Principe invito certio-  
 rem reddere non dubitabant, cæteris  
 omnibus ad tantam temeritatem fre-  
 mentibus: quinimo ipse Angliæ Rex  
 necnon fœderati Ordines, an vere vel  
 fite, hanc rebellionem eminento Re-  
 gis obsequio palliatam detestati sunt,  
 & Condæo Principi petitas armorum  
 suppetias denegarunt, e contra vero  
 ad conciliandam pacem Ludovico Regi  
 suam spondebant operam, eo quod hic  
 die secunda Novembris Nannatense edi-  
 ctum aliaque decreta in Hugonottarum  
 favorem sancita confirmasset, ea dun-  
 taxat

Sæc. XVII. taxat lege, ut positis armis in Regis  
A. C. 1615. obsequium sincere redirent.

## §. C.

*Condæi milites a Regio exercitu cæsi.*

*Mem. Gallo-  
belg. tom. II.  
l. I. pag. 89.  
Seran. Franc  
Hist.  
Daniel. hist.  
de France  
pag. V.*

Verum hac etiam Clementia Franciæ Rex parum profecerat apud rebelles subditos suos; quamprimum enim Calvinistas Gallos Condæi partibus adhærere innotuerat, mox illa Helvetiorum sex millia, quæ ex Bernensi Pago Regi militaverant, ab eo defecere: vicissim vero Fransacus, Nivernus & Luxemburgicus Duces, necnon Comes Sancti Pauli in Regis obsequium non sine summa Condæi Principis indignatione redibant: sensim quoque Fœderatorum Principum fortuna ex mutuis dissidiis nutare cœperat; postquam enim Rex utriusque exercitus sui imperium Guisio Duci commiserat, hic in Engolismensem Provinciam nulla mora irrumpere, Germanosque equites, qui in oppido Cogniaco castra metabantur, adoriri statuit quamvis a Condæi copiis præpeditus, sese cum Buscodelphini exercitu conjungere haud posset: sub idem tempus Guisus Galliæ Regem, qui velut prælio decertaturus iter suum Parisios versus ob Fœderatorum metum instituere cogebatur, cum valida sui exercitus parte